BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
69
5 D
19

BASILII ZANCHII
DE CHRISTIANA PHILOSOPHIA
EPISTOLA.

Romæ apud Valerium, & Loiſium fràtres Doricos:
Menſe Ianuario. M.D.LII.

BASILIVS ZANCHIVS CHRISTIANO LECTORI .S.

QVIA *ſemper prima æternæ ſalutis uia eſt, rectæ fidei normam, regulam, præſcriptionem habere, atq; ſeruare: &* à Patrum traditione ne transuerſum *quidem unguem diſcedere: &* Diuina Scriptura; *quæ modo diſperſe, & diffuſe, tum autem multis in locis uarie, & dubie, atq; obſcure locuta eſt, non ex ſenſu quẽ unusquiſq; ſibi fingit (quantũ ad dogmata pertinet loquor) ut hæreticorrm ſemper temeritatis, atq; arrogantiæ fuit: unde tot profanæ dogmatũ nouitates exortæ ſunt: ſed ex ſanctorum* Patrum *traditione, & eccleſiaſticæ, atq; catholicæ fidei regula, ad quam omnium, quotquot de ueritate* Chriſtiana *recte ſenſerunt, ſapientia, atq; modeſtia ſemper ſe ſe formauit, ac direxit, intelligenda; atq; interpretanda eſt: eademq; ratione ueterum* Patrum *ſcripta tum ſæpenumero difficilia, tum etiam ualde diffuſa ſunt, ut* Chriſtiana *doctrina non*

*niſi longo tempore, atque exercitatione inde compa-
rari poſſit: ideo in primis Chriſtianæ fidei decreta,
atque ſententiæ ex una aliqua è Summis, quas uocant,
illuſtrium Theologorum, maximeq; doctiſſimorum ui-
rorum iudicio, Diui Thomæ Aquinatis, quantum ſa-
tis eſt, ediſcendæ ſunt: quia eas clare admodum, &
in breui, et quod magni refert, recte, atque ordine, ac
ſummatim inde colligere, atq; intelligere licebit. Tum
uero his ducibus, qui commonſtrent, & digitum ad fon
tem intendant, ad ipſos ſacros Chriſtianæ Philoſophiæ
fontes accedendum eſt: ut unde illi hauſerunt, nos quoq;
hac ratione tutius, atq; facilius hauriamus: tum ut Di
uina, maximeq; ueneranda auctoritate, certis atque
idoneis teſtimonijs Theologicæ ſententiæ confirmentur:
ratæ, ſanctæq; habeantur: tum etiam quia fontes illi
tot prope habent ſententias, ac Diuina myſteria, quot
uerba: mirandumq; in modum legentium, atq; audien
tium animos beata quadam, atque æterna uoluptate
perfundunt: dum rem ipſam, quaſi geratur, ſub aſpec
tum ſubijciunt: atque ad amorem ueri, ac boni accen-*

dunt: atque inſlammant: & (quod caput eſt) uim quandam ad ea, quæ legeris, efficienda, atq; exequenda tibi afferunt. Summa hæc eſt, ut uetera uincant: ueteribus non tantum utamur, ſed etiam oblectemur: atque in illis conquieſcamus. Fontes autem hi ſunt.

Poſt ueteris ac noui Teſtamenti libros, utriuſq; ſcilicet æditionis tam Græcæ, quam Latinæ, qua Romana, atque Apoſtolica Sedes utitur, quia utraque una, atq; Diuina eſt, et ex utraque Apoſtoli, uiriq; Apoſtolici, & ſanctitate, atque doctrina excellentes teſtimonia protulerunt, eamq; ſuis expoſitionibus illuſtrarunt. Gregorius prologo in Iob, Auguſtinus de Ciuitate Dei libro XVIII. Cap. XLIIII.

Primum ſacra Concilia omnia Romanæ Sedi probata, cuiuſmodi ſunt quæ uulgo extant.

Secundo loco omnes ſummorum Pontificum Epſtolæ, quas Decretales uocant, de Catholicæ fidei, & ſacramentorum explicatione. Gelaſius diſt. XV. Nicolaus diſt. XIX.

Tertio ſancti Patres, Doctores, & Scriptores nomina-

tim aut a ſacroſanctis Concilijs ab Apoſtolica Sede receptis, aut à ſummis Pontificibus approbati. Quorum non nulli quamuis in uno, atque altero dogmate, non pertinaciter tamen, lapſi ſunt, ut Cyprianus, Hieronymus, & Theodoretus, inter principes tamen ſemper in Eccleſia habiti ſunt. Quocirca nullus ex ſua propria opinione illorũ dicta refellere, atque coarguere debet: ſed adhibita aduerſus eos reuerentia exponere, atque defendere. Iſtius uero generis, quantum lectione aſſequi potui, hi ſunt.

Alexander Ales. Alexander IIII.

Amphilochius. Concilium Epheſinum, & VI. et VII. ſiue Nicenum II. & Martini Pont. Gelaſius diſt. XV. & Conciliorũ tomo primo. Leo Epiſtola XCV. Conciliorum tomo primo.

Ambroſius, ut ſuprà.

Anaſtaſius Antiochenus Epiſcopus. Concilium VI. & VII. & Martini.

Antiochus Epiſcopus Ptolæmaidis. Gelaſius in libro de duabus naturis.

Antoninus Archiepiſcopus Florentinus. Leo x.
Antipater Epiſcopus Boſtrenſis. Concilium Nicenum
Aſterius Amaſiæ Epiſcopus. *ut ſupra.* (II.
*Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus.*Concilium Ephe
ſinum, & v. & vi. & *Martini. Gelaſius*, Leo.
Atticus Epiſcopus Conſtantinopolitanus. Concilium
Epheſinum.
*Auguſtinus.*Concilium v. & vi. & vii. & *Marti*
ni. Gelaſius, Leo.
Baſilius.ut ſupra.
Beda. Concilium Triburienſe, & Maguntinum ſub
Carolo Magno.
*Benedictus Abbas.*Gregorius I. & Zacharias.
*Bernardus Abbas.*In Extr.
*Bernardinus Senenſis.*Nicolaus v.
Bonauentura Cardinalis.Sixtus IIII. (VII.
Conſtantinus Diaconus, et *Chartophylax.* Concilium
Cyprianus. Concilium vi. *Gelaſius*, Leo.
Cyrillus Alexandrinus. Concilium v. vi. vii. &
Martini, Gelaſius, Leo.

Cyrillus Hieroſolimitanus. Concilium VII. et Martini.
Dionyſius Areopagita. Concilium VI. & VII. & Martini, & Florentinum. Nicolaus I.
Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus, & Martyr. Concilium VI.
Didymus Alexandrinus. Concilium V.
Ennodius Ticinenſis Epiſcopus. Nicolaus I.
Epiphanius. Concilium VI. & VII. & Martini.
Euagrij Hiſtoria Eccleſiaſtica. Concilium VII.
Eulogius Alexandrinus Episcopus. Concilium VI. &
Euphemius Epiſcop. Antiochenus. ut ſupra. (Martini.
Euſebij Cæſarienſis Chronica, et Eccleſiaſtica Hiſtoria. Gelaſius. Damnatus eſt in Concilio VII.
Euſtathius Episcopus Antiochenus. Concilium VII. Gelaſius de duabus naturis.
Fulgentius. Concilium Toletanum VIII. & Moguntinum ſub Carolo Magno.
Germanus Epiſcopus Conſtãtinopolitanus. Concilium VI. & VII.
Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus, & Martyr.

Concilium Epheſinum, & VI.

Gregorius Nazianzenus. Concilium Epheſinum, & V. & VI. & VII. & Martini, Leo, Gelaſius.

Gregorius Nyſſenus, ut ſupra.

Hieronymus. Concilium VII. & Moguntinum, & Aquiſgranenſe, Gelaſius, Leo.

Hippolytus Martyr, et Epiſcopus Arabum metropolis. Concilium Martini, Gelaſius de duabus naturis.

Hilarius Epiſcopus Pictauienſis. Concilium V. & VI. & Martini, Gelaſius: Leo.

Ignatius. Gelaſius de duabus naturis.

Ioannes Chryſoſtomus. Concilium V. & VI. & VII. & Martini, Gelaſius, Leo.

Ioannis Diacrynomij Hiſtoria Eccleſiaſtica. Concilium VII.

Ioannes Epiſcopus Scythopolitanus. Concilium VI. & Martini.

Ioanmes Epiſcopus Gabalonenſis. Concilium VII.

Ioannes. Epiſcopus Theſſalonicenſis. Concilium VII.

Iſidorus Abbas Peluſiota *optimus* Chryſoſtomi *auditor.* Concilium VII.

Iſidorus Hiſpalenſis. Concilium *Toletanum* VIII. & Aquiſgranenſe, Leo IIII. *diſt.* X.

Iuſtinus Martyr. Concilium VI. & *Martini.*

Iuuencus Poeta. Gelaſius.

Leontius Neapolis, *quæ in* Cypro *eſt*, Epiſcopus. Concilium VII.

Leporius Presbyter. Ioannes I. *libro de duabus naturis in* Chriſto.

Maximus Conſtantinopolitanus. Concilium VII. Nicolaus I.

Methodius Epiſcopus, & *Martyr.* Concilium VII.

Nilus Monachus Peluſiota, *qui* Chrysoſtomũ *audiuit*, Concilium VII.

Origenes ab Hieronymo *uerſus.* Gelaſius.

Paſchaſius Diaconus Romanæ Eccleſiæ. *Gregorius* Dialogorum *libro* .IIII.

Paulus Oroſius. *Gelaſius.*

Petrus Alexandrinus Episcopus & *Martyr.* Conciliũ

Epheſinum, & VII.

Proclus Epiſcopus *Conſtantinopolitanus*. Cooncilium *Chalcedonenſe*, & V.

Proſper. *Concilium Aquiſgranenſe*, *Gelaſius*.

Proterius Epiſcopus Alexādrinus, et *Martyr*, *Gelaſius*

Rufini Hiſtoria Eccleſiaſtica. Concilium VII.

Seuerianus Episcopus *Gabalorum*. *Conciliū Martini*, *Gelaſius de duabus naturis*.

Sedulius. *Gelaſius*.

Socratis Hiſtoria Eccleſiaſtica. Concilium VII.

Saphronius Hieroſolymitanus Archiepiſcopus. *Concilium* VII.

Stephanus Epiſcopus Boſtrenſis. Concilium VII.

Theodorus Episcopus *Ancyranus*. Concilium VII.

Theodori Lectoris Hiſtoria Eccleſiaſtica. Cōciliū VII

Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus, & ipſe *Chrysoſtomi* auditor. Concilium VII, & Florentinum.

Theophilus Alexandrinus Episcopus. Concilium *Epheſinum*. & V. & VI. & *Martini*, *Gelaſius*, Leo.

Thomas Aquinas. Innocentius III. *Vrbanus* VI.

Thomas Valdenſis. Martinus V.

Timotheus Alexandrinus *Epiſcopus*. *Concilium* VI.

Cæteri omnes Chriſtiani Scriptores iuſta cum laude, ac ueneratione legantur, & nominentur, qui de fide cum ſacris illis auctoribus congruunt: quiq; eorum teſtimonia recte intellecta fideliter, atque prudenter in medium proferre norunt. Deinde illud omnes admonendi ſunt: uniuerſum, & communem, perpetuumq; ſanctorum Patrum *conſenſum, quæq; eodem* Diuino Spiritu *afflati ſcripſerunt, pro* Eccleſiaſtica *doctrina ſine ulla dubitatione ſuſcipienda eſſe, ac ueneranda: ea uero pro dubijs habenda, de quibus aut certa* Diuinarum *literarum teſtimonia adduci non poſſunt: aut de quibus* Sancti Patres, *&* Catholici Doctores *inter ſe diſcrepant: aut deniq; ab* Eccleſia *nondum ſunt declarata, ac definita.* Vale.